✠

DE SUMMA FELICITATE,

QUAM NOBIS LITTERARUM AMOR AFFERAT, ad Regiam Hispalensem Academiam in solemni studiorum instauratione.

ORATIO

HABITA A D. AUGUSTINO
GUERRERO, ZERÒN, ET CANSINOS
HUMANIORUM LITTERARUM IN COLLEGIO
DIVI HERMENEGILDI
STUDIOSISSIMO ALUMNO,
AB EODEMQUE TYPIS MANDATA, ATQUE IN aeternum grati animi monimentum dicata
EMINENTISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO
D. D. D. FRANCISCO
S. R. E. PRESBYTERO
CARDINALI DE SOLIS,
HISPALENSIS DIOECESIS ARCHIEPISCOPO MERITISSIMO, &c.
SUB AUSPICIIS
BACC. D. CAROLI VAZQUEZ
IN EODEM COLLEGIO REGIA FACULTATE MAIOris aulae moderamen habentis.
Decimo quinto Kalendas Novembris. Anno MDCCLXXII.

HISPALI: Superiorum permissu, & Dñi. Censoris Regij Approbatione, ex Typographia Emmanuelis Nicolai Vazquez, in vico Genuensi.

VIRO MAGNIFICO,

EMINENTISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. D.D. FRANCISCO S. R. E.

PRESBYTERO

CARDINALI DE SOLIS,

CLARISSIMO BASILICAE SANCTORUM duodecim Apostolorum, necnon Regio, praeclaroque Caroli III. & D. Ianuarii stemmate iure merito insignito, quin etiam insignis Calatrabensis Ordinis Equiti, atq; Hispalensis Dioecesis. Archiepiscopo meritissimo, Regiaeque Hispalensis Academiae dignissimo Doctori, ac potentissimo Hispaniarum Regi à Consiliis, &c.

ETSI MERITUM, UT RES iustè accipiatur, sit necesse; hoc tamen ipsum generoso animo non est necessarium, qui, cum nec rei, nec offerentis dignitatem animadvertat, piam humanissimi cordis affectionem

non ſolum in deliciis habet, ſed credit etiam, ſolidam, veramque gloriam ſuis rebus bene geſtis prius non acceſſuram, quam naturali ſuae bonitatis propenſioni à ſe ſatisfactum fuiſſe videatur. Id ita cogitabam, Eminentiſsime Princeps, cum Maecenatem eligendum curabam, ſub cuius auguſto nomine haec meae imbecillitatis rudis opella in lucem ederetur, ſed haec ipſa eius rei cognitio me, ut ad Te animum adverterem, ſingulariter coègit. Is enim es, quem & Principem humaniſsimum, & Patrem amantiſsimum, & Paſtorem benigniſsimum in excelsâ hac Hiſpaniarum Metropoli noſtra omnis obſervantia veneratur: ex quà tamquam Sol fulgentiſsimus in omnem Tuae ditionis orbem clariſsimos Tuae beneficentiae radios longè, latèque diſpergis: ubi & nos praecipuè, qui Tuae lucis plenitudini tam proxime accedimus, generoſos Tui magni cordis influxus copioſiſsime participamus. Quamobrem iuſtiſsimas cauſas, quibus fuerim adductus, ut in hac mea oratiuncula ad tantum Principem confugerem, iam ſatis cuique arbi-

tror

trot demonstratas. Cui enim ignotum est, nos omnes, & me praecipuè, quem multis Tibi obstrinxisti beneficiis nostra omnia vel magna, vel parva, vel minima nostro Principi iure, ac merito debere; & Tibi potissimum, Augustissime Princeps, cuius Tua eximia bona tam singularia, tam admirabilia, tamque communis sortis expertia sunt, ut ea nullus umquam pro dignitate laudare possit? Quis enim singularem Tuam spiritûs excellentiam, quis eximiam ingenii vim, atque praestantiam, quis rectissimam operis rationem, quis ingentem consilii sublimitatem, quis sanctissimam Tuae vitae rationem, quis prope Divinam pietatis, & religionis curam, quis denique peracutam rerum omnium cognitionem non demiratur? aut quis spectabilem Tuam maiestatem suavitati admixtam, quâcum & altum Tuae dignitatis fastigium honestissimè tueris, & omnium non solum venerationem, sed amorem etiam tibi devincis, plenissimo ore non laudat? ita profecto est, Augustis-

gustissime Princeps, ut Regia maiorum Tuorum progenies Tuis maximis virtutibus exornatur, sine quibus, perspicuum est, ut cuncta Tuae nobilitatis gloria nostrae fortasse admirationi deserviret, non tamen, ut Te imitaremur, excitaret; sed quis Te imitandum non curabit, cum videat, religionem, & humanitatem Tibi suavissimo amore esse dilectas? aut quis ad Te, quo maiore possit, amore diligendum non approperabit, cum Te non illas modo in cuiusque animum inducere, sed à Te etiam illarum virtutes perfectìssimè sciat exerceri? quapropter non vereor, ut haec mea Tuae veritatis publica significatio Tibi displicere queat: tum quia ab omni remota est adulatione, tum etiam quod eximio Tuarum & virtutum, & dignitatum merito sit innixa. Iam ergo benignè, ut spero, accipies, humanissime Princeps, hoc meum etsi rude, at grati animi pignus, quod summa mea in Te observantia, efficacissimaque mei cordis sequuntur

tur desideria, quocum Deum Immortalem obnixè precor, ut Te & suae gratiae donis cumulatissimè augeat, & nostro omnium solatio diutissime conservet.

Eminentissimo nomini Tuo addictissimus, & obsequentissimus servus

Augustinus Guerrero, & Zeron, Cansinos.

AD

AD EUMDEM

EMINENTISSIMUM

AUCTORIS

EPIGRAMMA.

ET Pater, & Princeps, tibi debita munera ſume,
Quae meritis volui reddere ſacra tuis.
Accipe, nec quia parva, tibi non dulcia ſunto,
Nec quia vilia ſunt, ſint tibi grata minus.
Plura darem, ſi animus tibi plura daturus haberet,
Adderet & ſi mens plurima, plura darem.
Qualiacumque tamen, Princeps, generoſus avitis
Haec Caroli grati conſule penſa boni.

QUAM-

QUAMQUAM FREQUENS vestrûm doctissimorum hominum conspectus, eximiaque optimarum artium excellentia, ad quarum amorem adolescentiam incitare, solemni more hodierna debet oratio, praestantissimum quemque doctrinâ virum, atque in dicendo apprimè versatum, & magis alacrem redderent, & ut suas ingenii vires exprimeret, magis excitarent: tamen me, qui & hoc dicendi usu prope sum destitutus, & tenui, aut nullo potius ingenio praeditus sum, mirum in modum afficiunt, ut etiam minus animatus ad dicendum, non solum magis conturbatus accedam. Eminentissime Princeps, nobilissimi huius Senatûs perillustre, atque immortale ornamentum, cuius ea est vitae integritas, ea ingenii vis, ea rerum omnium cognitio, ea dignitas, ea progenies, ut à nullo umquam, ne dicam, pro dignitate, sed ne satis quidem laudari possint. Dignissime huius Lycaei Moderator, cuius tuae nobilitatis clarissimus ordo, dubium est, an eximiae sapientiae, sapientia excellenti virtuti, virtus & huic, & illi longè, multumque antecellat. Laureati meritissimi Doctores virtutibus, litterisque ornatissimi, adolescentes optimi, caeterique, quorum hic ego praesentiâ cohonestor.

Sed ad illud, unde exieram, redeo. Multa mihi ad dicendum accedenti timorem incutiunt: audientium

dignitas, & amplitudo, meae orationis argumentum, tum brevitas temporis, tum etiam meae imbecillitatis conſcientia. Si enim audientium dignitas mihi ante oculos obverſatur, vereor, ut aliquid, quod aut illis, aut illorum ſtudio dignum ſit, afferre poſsim. Si orationis argumentum, timeo, ut tantam rem, tam gravem, tam ab omnibus expetitam verbis ornare, ſententiis exprimere, ingenio perſequi queam. Si brevitas temporis, timor eſt, ut, quae ego dicere poſsim, tempus non patiatur. Si denique imbecillitas mea, ut, quae tempus patiatur, ea ego dicere non poſsim. Sed veſtra, auditores ampliſsimi, veſtra me recreat, ac reficit benignitas, & magna quaedam approbandae vobis, ſi minus eruditionis, at certè voluntatis meae cupiditas, ut iam tandem, poſito timore, dicere aggrediar.

At mihi quidem, cum quid dictu optimum eſſet, ancipiti cura cogitarem, prorſus ita viſum fuit; nullo in argumento meam commodius orationem poſſe verſari, quam ſi litterarum amor quantam nobis felicitatem afferat, & rationibus, & exemplis ab hiſtoriâ petitis breviter explicarem: non id quidem, quo vos, qui excellenti à natura ingenio, ſummàque ingenuarum artium ſcientiâ praediti eſtis, ad earum amorem incitare velim: ſed ut iuvenes, quos ferventi animo in litterarum ſtudium incumbentes videmus, acrius ad illas ferri videamus, utque vos earum, quarum amore flagratis, periucundâ memoriâ delectem. Hoc tamen unum, viri ampliſsimi, antequam ulterius provehar, à vobis ſummopere contendo, ut ſummam illam, qua vos affici conſtat, ſcientiarum voluptatem, & me diligenter audiendo, & veſtro ſilentio comprobare dignemini.

Ac ne illud à me ſtudii, amoris, pietatiſque meri-

meritissimum officium defuisse videatur, sacra velim, quae dicenda sunt aeterno nomini, atque immortali memoriae erga duos illos Hispaniae nostrae clarissimos Imperatores, quondam laudatissimos Principes, & nunc etiam totius orbis terrarum fulgentissima numina, potentissimos, atque augustissimos Reges, nomine, & re verà Catholicos Ferdinandum, & Elisabeth, omnibus virtutibus Imperatoriis, siqui umquam, ornatissimos, veraeque religionis, mirum, quam observantissimos, atque huius nostrae tot titulis, & nominibus insignitae Hispalensis Academiae conditores, atque erectores munificentissimos; necnon perenni famae illius quondam, & vel nunc gravissimi viri, artium, & Sacrae Theologiae Magistri, atque Doctoris, Illustrissimi D. D. Roderici Fernandez de Santa-ella, & Corduba, eidem operi magno animi ardore incumbentis, illudque reditibus mirum in modum reficientis; immortali denique gloriae erga illum magnanimum virum, celeberrimum Principem, populorum, & latè terrarum Dominum potentissimum, cuius vel ipso commemorato nomine singularis quaedam species omnis venerationis, atque amoris audientium animis occurrit, invictissimum, inquam, Regem nostrum Carolum, singulari felicitate magnum, incredibili pietate maiorem, suis ipsius virtutibus maximum, atque beatissimum, omnium, qui sunt, erunt, fuerunt, Imperatorum glorià, praedicatione, rebus gestis facilè primum, ac de hac nostra perillustri Hispalensi Academià praeclarè, atque immortaliter meritum; quin etiam suam prolixam sane, atque beneficam naturam tot in eam beneficiis collatis, tot, tantisque muneribus, privilegiis, gratiis, tot denique sinceris quidem, ac minimè fucatis amoris signis exprimentem, atque in dies magis, ac magis ostendentem.

Sed

Sed , antequam ad meae orationis argumentum venio , me ad ſeſe vocat , neque me diutius de ſe tacere patitur Princeps humaniſsimus , vir multis de cauſis laudatiſsimus. Etenim quiſnam multis iam ſaeculis laudatior extitit , quive ſit magis iure laudandus , quam noſtrum omnium Archipraeſul Eminentiſsimus ? qui non magis prudentiſsimorum hominum iuditio electus eſſe , quam natus ad illam dignitatem videtur : qui , pace eius dictum ſit , non minus ornat illam dignitatem , quam ab illa ornatur : & quem Deus nobis praebens , ſingulari quadam hoc ſaeculum eſt beneficentià proſequutus. Adeo neſcias , an virtus eius , an dignatio inter homines magis emineat : & inter ipſius virtutes , quae cui praeſtet , ſiqua modo praeſtat , & non unaquaeque omnes in ſe numeros habeat : quas quidem , ut quiſque maximè ſcit , atque cognoſcit, ita maxime omnes ad unam enarrari non eſt neceſſe. Quis enim ignorat , nihil eſſe tam arduum , tam difficile , tam profundum , quod non concilii altitudine , & prope divina ingenii celeritate expediat , conficiat , tranſigat ? aut quis ignorat , quà pronuntiandi maieſtate , & gratià , quanta memorià , quanta rerum omnium peritià , quanta vitae Sanctimonià , quanta in ſuos , & in alienos pietate , quanta denique in pauperes miſericordià eluceat ? Quare (ut libere , quod ſentio , dicam) vobis , Patres ampliſsimi , iure , ac merito laetandum , atque gloriandum eſſe video , quod à tam magno viro , tam ſancto Principe , tam ingenioſo Doctore ſitis exornari. Cui , ut & vos continuò facitis , & facere debetis , meo , & civium omnium nomine quam plurimas gratias ago , quod reipublicae bono in his ſtudiis reficiendis magnope-

re desudat ; quod huius Academiae resovendae causâ mirum in modum laborat ; quod pro reditibus ei imponendis unus omnia curat, omnia suis humeris sustinet, unus omnia obit, & (quod magis nostram admirationem auget) non fortiter modo, sed etiam libenter.

Sed iam ad rem nostram veniamus. Dubitari, non potest, viri amplissimi, quin magno adiumento, magnoque auxilio sint litterae, non solum ut conservemus, verum etiam ut omnes cumulemus felicitates. Cum enim nostra omnis felicitas in exercenda virtute praecipuè sita sit, cumque perfectae virtuti assequendae litteras praeire sit necesse : fit inde, ut, nisi in quo litterarum amor vigeat, gaudere is verà felicitate nulla possit. Nihil est enim, sive omnem omnium temporum varietatem, sive omnes cuiusque vitae rationes animo, & mente percurramus, quod non ita litterarum auxilio indigeat, ut, si eae perirent, lux ipsa terrarum orbi defutura fuisse videretur.

Ab iis nos non solum benedicendi, beneque vivendi, sed auxilia etiam, quibus vita conservetur accipimus : eae, quà vià iustitia sit retinenda, quanto in pretio sit virtus, quanta vitii turpitudo, edocent : eae, quantus sit princeps ille Deus, quanta eius attributa, quot, & quanta sint eius in nos beneficia, commonstrant : eae denique excitant in animis nostris summam tanti Numinis potiundi aviditatem, postea que certissimum ad aeternam felicitatem nobis aditum aperiunt. Ita profecto est, auditores amplissimi. Nulla enim via ad veram prudentiam brevior, nulla ad reipublicae, aut animi moderationem expeditior, nulla ad salutis rationem compendiosior, nulla ad laudis, ad dignitatis, ad honoris, ad gloriae immortalitatem planior, nulla denique ad sempitaernae felicitatis possessionem certior inveniri

niri praeter litterarum tractationem potest.

Neque vero pertimescendum est, ne ii, qui animum ad litterarum studia adiunxerint, aut laboris taedio, aut voluptatum capiantur illecebris. Qui enim semel hanc scientiarum Ambrosiam degustarunt, ii numquam non postea in disciplinis addiscendis desudant, frenant libidines, spernunt voluptates, iracundiam cohibent, & caeteras denique animi labes toto pectore repellunt.

Quamobrem praeclarè illud profani doctores memoriae consecrarunt, illos olim, quos sibi ad Troianae urbis expugnationem socios Vlises adiunxerat, cum ad id promontorium, quod à Circe perillustri quondam veneficâ Circaeum nomen invenerat, navim admovissent, potentissimisque huius, quae id promontorium incolebat, herbis in varia monstra fuissent conversi; unum in Vlise perfugium habuisse: qui cum herba Moly sibi à Mercurio donata Circen securus adisset, simulque ferrum, quo fuerat accinctus, illi minitari coepisset, tanto simul eam pavore complevit, ut ad pristinam eorum formam ex sociis quisque subito verteretur. At in hoc fabuloso verborum cortice quid tandem pòëtae subesse significarunt? nihil profecto aliud, nisi id, quod nos maximè volumus. Inhumana videlicet illa venefica vitium est. Eam qui convenere Vlisei comites, iuvenes sunt, qui suavissimis illius Circes vocibus, id est, vitiorum illecebris decepti, & à suo duce, quasi à recto itinere abducti, in varia peccata, verissima monstra foedissimè prolabuntur. Quodnam igitur huic tanto malo inventum remedium est? quod? nisi herba Moly, id est, Vlisis, optimi, & prudentissimi ducis sapientia? cuius suavissi-

vissimum saporem qui percipiunt, ii Circaea incantamenta eludunt, eaque pro nihilo putant, & tandem rectissimam viam, id est, virtutem cum immortali coniunctam gloriâ consequuntur.

Tanta est, auditores, voluptas quae ex doctrina percipitur, ut huius cultores, tamquam Loti suavitate capti, cum caeterarum rerum sint immemores, in seria huius meditatione sint immersi, & solius virtutis eius suavissimi fructus reminiscantur. Quemadmodum enim qui aquoso morbo sunt affecti, eorum ut quisque aquae bibit plurimum, ita eam acrius, atque avidius bibere cupit: ita quo maiorem quis doctrinae copiam percepit, eo maiorem percipere concupiscit.

Quapropter tantum abest, Ordo amplissime, ut studiosis ista divina studia vel odiosa, vel laboriosa videantur; ut sibi etiam nihil suavius, nihil iucundius, nihil charius, nihil antiquius, quam ea ipsa inveniri posse existimetur. Quis enim labor Hesiodum, quis Simonidem, quis Stesichorum, quis Isocratem, quis Gorgiam, quis Homerum, quis Philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, quis Platonem, Xenocratem, quis postea Zenonem, Cleantem, Diogenem vel ad summam senectutem in suis studiis cessare coëgit?

Quamquam verò in his haec admirabilia sunt: nemo enim fuit tam senex, ut se penitus in litterarum studia non incumberet, hoc tamen in Solone magis est admiratione dignum. Qui, cum in lectulo iam letho proximus decumberet, assidentesque amicos de quadam disceptatione submissâ voce colloquentes audisset, semimortuum, ut potuit,

tuit, caput erectum, ut illos melius audiret, inflexit; iisque interrogantibus, ut quid haec ille? nobile hoc responsum edidit: ut, cum istud didicero, è vita discedam eruditior. O animum litterarum peramantem! O virum omnium saeculorum memorià, & praedicatione dignissimum! iacebat vir sapientissimus in lecto, gravissima morbi vi paene deiectus: pallebant genae, languebant oculi, deficiebat lingua, fervescebat pectus, toto ex corpore mors pallida promicabat; & tamen quidquid vigoris supererat, eo contulit, ut iam iam moriturus suum doctrinae desiderium interrupta voce significaret. Quodnam, quaeso, fuisset huius in reliquà vita studium, cum ne in morte quidem vel minimum spatium, ut aliquid non didicerit, praeterire voluerit?

Si ergo res ita se habet, quis dubitabit litterarum peramantem animum studii labore non frangi, huius maerore non confici, illarum odio non rapi, vitiorum illecebris non emolliri? aut quis, omnem nostram felicitatem in optimarum artium scientià sitam esse, quis dubitabir, cum sciamus illas esse, quae regnis pacem, concordiam populis, tranquilitatem reipublicae, opibus incrementum, difficillimis temporibus serenitatem, animis integritatem, & gaudium largiuntur?

Quod si cui adhuc dubium videtur, audiat illud sapientis: beatum esse dicentis hominem, qui & invenit sapientiam, & afluit prudentia; cuius acquisitionem regum ille sapientissimus subiungit, omni non modo auri, & argenti pretiosa suppellectile meliorem, sed & cunctis opibus esse pretiosiorem; quodque omnia, quae desiderantur huic comparari non possint. Quid, quod, ut ait ille omnium Mo-

narcha potentissimus, longitudo dierum in dextera eius, & in sinixtra illius (sapientis scilicet) divitiae, & gloria; quodque omnes & viae, & semitae illius pulcherrimo, atque placidissimo pacis ornatu sint excultae?

Quae cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si nostra omnis felicitas in studio litterarum constituta est, si eae nos ad virtutem praeparant, & à vitii turpitudine avocant: si & nobis viam laudis, & salutis, & honoris, & dignitatis, & gloriae certissimam commonstrant; si per eas nos ad D. O. M. cognitionem, & ad illius etiam potiundi felicitatem proxime accedimus: litteras, quae tantis nos beneficiis afficiunt, eas esse nobis valde, & vehementer amandas?

Quare iam, ut finem faciam, id à vobis, lectissimi adolescentes, etiam, atque etiam oro, atque obtestor, ut, quae vestra est summa, ac singularis virtutis, & ingenii bonitas, sola haec artium liberalium studia vester amor, vestrae deliciae, vestra sint desideria: numquamque opes cum inscitia, voluptates cum scientia, dignitates cum stultitia, honores cum ignorantia cumulare patiamini. Hoc etiam à vobis obnixe petimus, ut, quo soletis, honore merito nobilissimam hanc scientiarum Matrem, & eius Magnates Academicos assiduo prosequamini: & dum aetas ad disciplinam apta est, dum animus nullis aliis curis occupatur, non committatis, ut vel minimum spatium, quin vestrae utilitati consulatis, praeterire velitis.

Vos vero, Patres amplissimi, benignitate vestrà, ut facitis, iuventutem nostram fovete: ut haec florentissima, & bonarum artium studiis deditissima, hac meà oratione ad doctrinam praeparata, atque praeculta vestram in hac felicissima Academia

mia ſapientiam facilius imitari queat. Haec igitur mihi reliqua pars eſt , ut huic , cui ſuum debent ſplendorem Academiae , artes optimae dignitatem, vos , iuvenes , inſtitutionem , gentes vitae ſanctimoniam , decus illibatae religionis urbes , provinciae, regna , atque adeo terrarum orbis univerſus : quem reges venerantur , verentur reſpublicae , quem omnes amant , omnes obſervant , & ſatis digne nemo laudat : huic , inquam, noſtri amantiſsimo Carolo , cui celeberrima haec Academia tantae curae eſt , cuius tot, tantaque in illam extitere beneficia , & multo maiora fore nos quam primum ſperamus , huic vos magis meo magno erga tantum numen amore , & ſummis eius in me beneficiis , quam quod ita neceſſarium iudicem , rogatos velim , ut , quemadmodum ſedulò datis operam , ad nutum vel minimum ſatiſfieri ſtudioſè , ac diligenter curetis : ſic enim religio , pietas , ſcientiarum amor , Divini Numinis cultus , & denique florentiſsima haec Academia in dies magis , ac magis vigebit , ac eſloreſcet.

DIXI.